Fragmentarium

secum duos iuvenes et ysaac filium suum. Cumque
concidisset ligna in holocaustum abiit ad locum quem
preceperat ei deus. Die autem tertio elevatis oculis vidit lo
cum procul dixitque ad pueros suos. Expectate hic cum
asino ego et puer illuc usque properantes. postquam ad
oraverimus revertemur ad vos. Tulit quoque ligna
holocausti et imposuit super ysaac filium suum.
Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque
duo pergerent simul dixit ysaac patri suo. Pater mi.
At ille respondit. Quid vis fili. Ecce inquit ignis et
ligna ubi est victima holocausti. Dixit abraham. Deus
providebit sibi victimam holocausti fili mi. Pergebant
ergo pariter. veneruntque ad locum quem ostenderat ei deus.
in quo edificavit altare et desuper ligna composuit.
Cumque colligasset ysaac filium suum posuit eum in al
tari super struem lignorum. Extenditque manum et arripu
it gladium ut immolaret filium suum. Et ecce angelus
domini de celo clamavit dicens. Abraham. abraham.
Qui respondit. Adsum. Dixitque ei. Non extendas
manum tuam super puerum neque facias illi quicquam. Nunc
cognovi quod timeas deum et non pepercisti filio tuo

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. Ser. n. 4234, 00000009 – Missale
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-krsf/148/2465)